



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Lib. III. Taurus, Bos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

JOHANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM

LIRER III.

DE IIS QUÆ PER TAURUM, ET BUBULUM OMNE GENUS SIGNIFICANTUR.

Ex sacris Ægyptiorum Literis.

AD ERUDITISSIMUM LÆLIUM TAURELLUM,
Illustriff. Cosmi Ducis Florentinorum Juri Præfectum.

Non publica peccare commoda videar, doctissime Taurelle, si Tauri mei mugitus nescio quos Serenissimo Duci Cosmo meo, imo proborum omnium patrono, dedicare non erubuerim. Non quamvis non sim nescius eum studiosorum commodis applaudere, majorum suorum exemplo, qui omnes summam & eam æternam laudem comparare, dum scilicet literas & virtutes, & bonos omnes mores in Italia, atq; adeo in ipsa clarissima civitate Florentia florere, & in honore esse, omni studio conatuque omni curare: negotia tamen, quibus juvenis ornatus nunc in tanto rerum Italicarum motu & perurbatione detinetur, non permittunt, ut importunus eum accedam, tamen si sapientissime, & magna cum civium suorum commendatione omnia temperet, & moderetur, ita ut omnes curam studiumque senile in ætate tam viridi, admirentur. Quare Taurello potius amico benignissimo eum alendum curandumque dedi, cui cibis is, quo Taurus noster pascitur, sufficit abunde, ut cum opportunum fuerit, resque ipsa monuerit, suo tempore & loco Taurellus de Tauro, quæ in eo sunt laudabilia, atque magnæ etiam admirationis, profertur & ratiocinetur, Principemque ingenio præstantem, quibus doctoribus animal polleat; & si dicere licet, quibus virtutibus insignis habeatur, interdum commonefaciat. Nam quæ homines recte laudabiliterq; faciunt, cum illi ad hæc agenda nati sint, & uniusquisque ab animo suo, qui ratione pollet, possit exempla desumere: quia mænen doctus hæc ab humana natura dimanant, non ut quæ adeo sunt in nobis admiranda: sed quæ sensu faciunt animalia, quibus singuli fere singulis motus sunt impertiti, si ultra naturæ suæ fines provehantur, eo præciosa judicantur, quo magis interdum humanum genus in certamen provocare comperiantur: cujusmodi multa admiranda super Elephantis proximo Commentario ad Reverendiss. Sfortiam commemoravimus, quibus non inferiora forsitan de Tauro vel Bovillo omni genere dicturi sumus.

TEMPERANTIA. CAP. I.

Admirabilem quandam in Tauro continentiam cum animadvertissent Ægyptii Sacerdotes, temperantia præditum hominem, ab humanarum quippe rerum affectu non alienum, cæterum modestiæ servantissimum, significare si vellent, Taurum naturæ admodum robustæ ac validæ faciebant, cujusmodi speciem Philostratus Paphiæ descripsisse videtur, cum ductorem illum gregis, pugnacem, superbum exultantem, speciosum cornibus, colore niveo, lato gutture, cervicæ crassa, palearibus late longeque pendentibus, armis ad aspectum inhorrescentibus effingit: qualem quippe faciem habemus in nummo quodam argenteo, cujus inscriptio est, M. L. THORUS. Causam hujus hieroglyphici eam Philosophi tradunt, quo animal hoc sit calidissimum, atque inguine præcipue potens, ita ut uno tantum initu citra motum impleat efficacissime: quod si contingat, ut à naturali aberrarit loco, Vaccam ea in quam occurserit parte, qua præditus est inguinis firmitate, vulnerat, non secus ac si telo eam acuto impetisset. Usque adeo vero semel illi promptuarium est, ut exectum Taurum implese tradat Aristoteles, atq; hinc plerique veteres scriptores, viri pudenda Taurum appellavere, ut muliebria $\beta\epsilon\tau\alpha\lambda\iota\omega\tau$. Animal tamen hoc in libidinem usque

M. L. Thorus
nummus.

A usque adeo concitatum & furens, non saepius quam bis die inscendit: à conceptu vero ipsius Vaccæ modestus castusque, nihil ulterius tentat. Hujus rei causam in Vacca multi ponunt, quæ Taurum propter rigorem genitilis nimiamque tentiginem, veluti Cervæ etiam, neque non Testudines faciunt, raro patiat. Unde dixerit Horatius de fugitiva puella:

*Nondum subalta ferre jugum valet,
Cervicæ: nondum munia comparis
Æquare, nec tauri vuentis
In venerem tolemre pondus.*

*In Epod. 2
Carm. lib. 2
od. 5.*

Sed enim spectandum hoc exemplum continentia habere causam in Tauro, manifestum est ex eo, quod sponte Taurus à conceptu, divortio quasi facto, secubat, ac, ut in Epiro maxime videre est, trium plerumque mensium spatio non apparet, sed errabundus, ut apud Virgilium est, *Latus niveum* ^{b Ecloga 6.} ^{c Lib. 6. de} *mollis fulvus hyacinto, ilice sub nigra pallentes ruminat herbas,* & quod ait Aristoteles, *ἀπιμαγελέσ, natura ani-* ^{d In Idyllio} ^{Thyenicis.} *malium.* quod non infeliciter quidam *Abarmenitur* dixere, hoc est seorsum à Vaccarum confortio, grege con-
B viciumque pascitur. Quod dictum volui, ut unusquisque sciret quo gestu Taurus pingendus sit in continentia significatum. Ut vero ad verbum *ἀπιμαγελέσ*, & ex historia ad proverbium revertamur, hæc eo spectant, ut impositum petulantia modum, & probatissimam ex ea pictura continentiam intelligamus: atque ita forte accipiendum illud apud Theocritum, *ἔσται καὶ ταύρος ἀπὸ ὕλας, in sylvam ab-* ^{d In Idyllio} ^{Thyenicis.} *scissit Taurus;* sed hæc tamen, quia copiose & feliciter sunt eruditissimis plerisque viris, præsertim Erasmo Roterodamo, tractata, nos non ulterius prosequemur. Neque vero me latet in Epiro Pyrrhicæ Boves fuisse miræ magnitudinis, quæ quia Veneris expertes essent, & omnino intactæ custodirentur, *ἀταίρω*, dicebantur: sed hoc illis hominum cura, non natura dabat. Eadem neque jungebantur, ideoque *Injuges* dictæ, quod incontaminatæ pudicitia: symbolum præ se ferrent. Minervæ in primis macabantur, virginittatis, quæ jugum nesciat, indicium. Exiis autem satis manifestum est, nos in libidinis temperantia dubio procul ab eo genere vinci, quod alioqui procacissimum, & in rivales pugnacissimum esse constat. Quare haudquaquam levi de causa cœlestis ille Taurus Veneri dedicatus, neque Venus temere à sapientissimis Poëtis Aurea vocitata est, quæ quidem synceram, ^{e Venus cur} ^{Aurea dicitur.} ^{lib. 2.} castam & puram generandi cupiditatem cœlitus inspirat, non lascivias petulantiores, adulteria turpia, & impudicam humani generis contumeliam, quam voluptatibus dediti mortales, dum appetentius æquo per summam incontinentiam confectantur, cogi se vi siderum affirmare audent, quo suæ velum impudentiæ prætendant, cum tamen à cœlo nihil non undecumque sanctissimum emanare verissime dicat Plato. Sedenim si non ex civilis vitæ moribus, si non ex disciplinis, & sapientum præceptis, si non denique legum minis ad honestatem inflitui potuimus, age age, jam à brutis rectam vivendi rationem adipiscamur, & ingenium eorum secuti, nostræ opem feramus imbecillitati. Tali autem continentia fuisse præditum Drusum, fama canit, qui se uxori, quamdiu in expeditione Germanica fuit, conservavit. Et quod de Tauri secubitu dicebamus, Pescennium quoque Nigrum ferunt ignarum rei Veneræ fuisse, nisi quantum procreandis liberis impenderetur. Invenies hujusmodi exempla in historiis etiam recentioribus, ut de Pemone Bellunenfi, quem Utinenfes ob integritatem, justitiam, summamque prudentiam, Principem sibi delegere. Neque sua in hoc fraudandum laude femineum genus, cum Zenobia illa Aureliani Imper. etiam hostis epistola commendatur, quæ Gallieno Rempub. negligenter administrante, imperium sibi comparavit. Eam ferunt cum semel concubisset, expectatis menstruis se continere solitam, si prægnans esset; sin minus, potestatem quærendis liberis viro concessisse. Vulgo tamen apud Seras nefas est à conceptu foeminam adiri. Ejus continentia: atque modestia: causa, qua Boves, ita ut ostensum est, commendantur, Mycerinus Aegypti rex, Cleopis filius, filiam, quæ se suspenderat, quod stupratam sese à patre ferret indignissime, lignea Bove auro solido superinducto condidit. Et antiquissimis Hebræorum sacris offerre Vitulum, est carnis impotentiam pervicisse, ut Origenes in Levitico interpretatur. Exempla Hieroglyphicorum vero hujusmodi ea de causa nonnumquam interserimus, quia totus hic noster labor ad eorum usus sum susceptus est, qui pictura delectantur, ut præter Aegyptiaca, & alia pleraque mystica historiam etiam habeant, quam ad id quod elegerint argumentum ac commo. dare possint.

NEque alia de causa crediderim ego mulieres Elienses, cum Baccho, quem colebant, preces fundere orare solitas, ut *βοτῶν ποδῶν*, Taurino quippe pede, ad se veniret, nisi ut suam ita modestiam ostentarent: nihil enim minus foeminam decet quam praecipitancia, vel ardor audaciae. Quare Dido, Virgiliana cum modesta inducitur, breviter, & vultum demissa profatur. Figurabant vero Graeci Dionysium Tauri specie, quod eundem, & Osirim intelligebant, de cuius probitate atque iustitia summissq; in humanum genus beneficiis, multa multis in locis hoc commentandi genere dicenda sunt. Porro Dionysius apud Argivos *Βουβωνεύς*, quasi bovigenam, aut ex bovillo genere dicere vellent, cognominabatur. Quod vero superius dictum est, caelestem Taurum pios & honestos atque legitimos amores afflare, non sum nescius Julium Maternum iis impudicitiam minari, qui Taurum habuerint in horoscopo: maluissimam eum prolificum, aut foecundum dicere, ne notam eam caelo injussisset immerito. Hujus sane fertilitatis, & praesentaneae seminis facultatis ergo institutum ajunt boni ominis causa, ut in condepidis oppidis sulco illo primigenio imprimendo, Bos fmas non castratus, & Vacca jungerentur, & cum sacrificabant circum moenia, quinto quoque anno integra animalia mactabant. Sane Orpheus mensem *μονουήρωτα μόρρον* appellat, unicornem quippe Vitulum. Et Eustathius *Ἰλιάδ. α* mensem ait Bovem dici: utpote qui sit generationis effector.

PETULANTIAE FRÆNUM. CAP. III.

ADhac Niliaci illi sacrorum custodes, cum hominem a priori petulantia sibi modestius consulentem significare vellent, non simplici forma Taurum, sed Caprifico caput, colla armoque redimitum, pro istiusmodi virtutis hieroglyphico proponebant. Caprifico enim ea vis est, ut lascivientium Taurorum, & quantumvis ferocientium naturam usque adeo compefcat, eorum collo circumdata, ut immobiles propemodum eos reddat: cujusmodi Taurum ab Hercule compressum domitumque mystico fabulamento Gracia confinxit, perinde ac reliqua etiam monstra superata, cessisse virtuti vitium hieroglyphice significant: tamen non sum ignarus, quæ de Tauro Herculeo traduntur, referri à pierisque ad Acheloum amnem, cujus fabula, quia omnibus est scholis triticissima, mihi nunc est dissimulanda. Origenes Adamantius Taurorum immolationem, quæ in divini numinis tabernaculo fieri iussa est, per Hebræorum legem, significare dicit apud nos superbiae tumorem & insolentiam esse mactandam. De vitulo vero in holocaustum offerendo, copiosissime scribitur ab eodem in Levitico homilia secunda.

Taurus ab
Hercule superatus.



OBTUTUS AMATORIIUS. CAP. IV.

NEque tamen illud omitti debet, Obtutum amatorium, qui modestia servata fiat, ad Tauri oculos referri solitum à peritissimis. Unde illud, *βλέπειν ταυροδόν*, quod tum in Platonis, tum in Xenophontis Conviviis, & Phædone, & alibi, eadem fere sententia positum animadvertas, tamen nonnulli rem ad indignationis significatum retraxere, torvumque tueri interpretantur: quo significato apud Aristophanem super Aischylo dictum, *ἐβλάψε γὰρ ταυροδὸν ἐγκύψας κατὰ τω*, *Aspexit igitur Tauricè ad humum lumina dejectus*. Hac enim facie iratus Aischylus inducitur ab Aristophane. Neque sum nescius torvitatem à Taurorum ferocia dictam, ut etymologiarum authores tradunt, qui torvitatem Tauri acerbitatem interpretantur. Huic longe dissimile est *βοῶπις*, quo quidem oculorum pulchritudo, atque gratia significatur. In iis tamen quos superius citavi, nimirum de amatorio obtu;

Abotutu intelligitur, in quo modestia primas obtinet, isque plurimum fieri solet in obliquum, & id
corvum est.

BONORUM OBSEQUIUM. CAP. V.

Alia porro picturæ specie, hominem ea modestia præditum, ut facile eum queas à perperam factis avertere, indicare si vellent, Taurum genu dextero illigatum pingebant: hunc enim si dextero alligaveris genu, mansuetum & vincula consequentem invenies. Hoc cum Romæ Clementis VII. principatu Græculus quidam effecisset ducto sapius ferocissimo Tauro per universam urbem, quem tenui admodum funiculo ita religarat à genu, peritissimi Magi nomen apud imperitos affecutus est. Edomitæ autem ferociæ hieroglyphicum apud Georg. Anselmum vidi, impressum numo Taurum caudâ surrectâ, capite cervino, anteriore crure lævo genu flexum, sub querno stipite, à quo laurea pendebat. : ab altero latere caput Leonino spolio armatum. Inscriptio, MILLO CROTON.



Taurus numero impressus.

PROLES MASCULA, PROLES FOEMINEA. CAP. VI.

Agyptii iidem Sacerdotes, ubi masculam prolem mysticè describere vellent, Taurum ab insensione in dextram se partem demittentem figurabant : si vero foemineum foetum exprimere voluissent, eundem in lævam avertentem sepingebant. Compertum siquidem est, Taurum à conceptu discedentem si deflexerit in dextram, marem esse genitum, si ab læva abscesserit foemineum esse foetum. Adhæc Parmenides, foetum tunc esse patri similem asserit, cum à dextera locorum parte editur, matri vero, cum ab læva. Hippocrates tradit sinistro teste obligato marem generari, dextro vero foeminam, tantique esse dextrarum sinistrarumque partium in maribus foeminisq; cognoscendis observationem, ut si mammarum prægnantis mulieris dextra flaccescat, macrave repente fiat, si gemellos paritura fuerat, marem abortum fieri dicant: si vero sinistra macrescat, foeminam deperdi. Quin & Onirotitæ hæc eadem intelligunt, cum imaginari dextra parte dentes amissos, marium con sanguineorum obitum ariolantur, ex sinistra vero, foeminarum. In dextra autem parte uteri materni sapius moveri mares, in læva vero foeminas constat. Albertus sibi compertum ait, mulierem quandam foeminas tantum parere solitam ea de causa, quod à conceptu semper in lævum latus decumberet, admonitam vero cœpisse in dextram conquiscescere, ac solos deinde mares genuisse. Neque vero dissimulandum quod ad Aegyptiorum commentum facit. Septentrioni vim masculam inesse, quod neq; quidem Aristoteles dissimulavit: docet enim is, si masculos plures creari volumus, admixtura tempore, dies siccos, & halitum Septentrionis eligendum esse: & contra eum ventum greges pascendum: sin vero foeminas generari velimus, Austri captandos flatus, & in eum pascua dirigenda, quod vis in eo vento muliebris insit. Africanus quoq; rem hanc tangit in Georg. Ait enim: *Si marem velis, Aquilone spirante admissuram faciendum; si foeminam, Austro.* Sedenim de levis dexterisq; mundi partibus magnum est inter authores dissidium. Una enim cum Aegyptiis dexteris mundi partes solstitiales, sinistras Brumales intelligit Empedocles, de quo ita Galenus, *ἐμπεδοκλῆς ἡ δεξιὰ εἶναι τὰ κατὰ τὴν ἡμερινῶν, τετρακτῶν, ἀριστερὰ τὰ κατὰ τὴν χειμερινῶν.* Neq; desunt qui primas olim foeminas ad Ortū & Meridiem terra genitas, mares vero ad Septentrionē & Occasum fabulentur. Plato tamē Aristotelesq; alia ratione orbē dividentes. Orientales esse dexteris, à quibus initio motu, lævas autē occidentibus, tradidit, ut idē Galenus recitat, *πρωτογενεῖς καὶ πλάτων ἑλισσπιλῆς δεξιὰ ἑκδοσὺς ἔφασκεν εἶναι τὰ εὐα, ἀφ' ὧν ἀρχὴν εἶναι τὴν κινήσεως, ἀριστερὰ τὰ ἐσπερια.* Contra Varro Latinæ linguæ l. vi. cœlum

Que dexte. mundi par.

32
lum ait dici templum, ejus autem cœli partes quatuor constitui, sinistram ab Oriente, dexteram ab Occasu, anticam ad Meridiem, posticam ad Septentrionem. Cui Plinius subscribit dicens, errantia sidera contrarium mundo cursum agere, quippe lævum semper illo in dexteram præcipiti: quamvis Festus anticam eam cœli partem, quæ ad meridiem Sole illustratur, dexteram vocat, ita enim anticam interpretatur: posticam vero ad Septentrionem, sinistram. Alcino in Græcorum monumentis adnotatum ait morem sacrificandi servatum diu, ut circumcurrerent aras, cursum auspici ab lævo dextrorsum, Zodiaci quadam imagine, cujus motus sit mundo diversus ad exortum vergens: mox vero à dexteris lævorsum procurrerent, quo motu cœlum rotari manifestum. Contra Ægyptiorum positionem T. Livius libro ab Urbe condita primo, dexteram ad meridiem partes Augurum instituto, ad Septentrionem sinistras statutas ait. Ad hanc sententiam facit quod Psalmo apud Heb. 89. legitur, *Aquilonem & dextrum tu creasti*, quod nonnulli Austrum interpretantur, alii mare. Cum Hebræis vero consentiunt & Chaldæi, qui Austrum ponunt. Sedenim & Auster pro Mari non inepte accipitur, si sphaera recta statuatur polis ad finitorem inclinatis. Nam Ægyptii (quos Cleomedes, non postremi nominis author, secutus est) ipsam mundi totius figuram aliter describere, utpote qui Auroram esse caput, Borealia dextera, Australia sinistra constituere: maritimisque piscibus, tum ob alias causas, quas loco suo recensuimus, tum ob id præcipue abstinere, quod Nilum à sinistra ortum, quippe foeminea foecundaque parte, in dexteram quippe virilem sterilemque (ita enim erant eorum commenta) illapsum: quippe ubi mare sit, corrumpi dicerent. Nam de maris ipsius sterilitate suo loco diximus, atque ita dexteram oram, hoc est, maritimam, considerato Ægyptii situ, perditionis symbolum statuebant. Neque hic dissimulandum, quod apud Eucherium, ubi de Aquilone loquitur, qui pro Dæmone accipitur, invenies eum vocari Dexterum & ita ipsum quoque sibi Dexterum nomen adsciscere. Nam & Hieronymus quartis Hebræorum castris Aquilonem dextrum appellari tradit, sed falsum ait nomen, cum de Dæmone ejus venti domino intelligatur, qui undecumque sinister sinistra omnia mortalibus suggerat appetenda. Causam tamen Eucherius super Dexterum nomine aliam ab hac arbitratur, quippe quod perperam agere volenti, dexter ad sit obsecundando, suadendo, procliviter attrahendo. Nam illud palam est, ait, in Sacris literis diabolus gestare Aquilonis nomen, eaque locutione quicquid bonis conatibus adversatur accipi: is enim bonorum operum ardorem extinguit, atque omnia frige facit, & ob id & infideles & impij, contumaces sceleratijque homines, eo notantur hieroglyphico. Unde illud, *ab Aquilone pandetur omne malum*. Et quia flatus vehementis quo frigidior, eo magis ignem in quem inciderit excuscitat, dictum est, *ab Aquilone exarscunt mala super terram*. Tetigere & Poëta nostri dexteram lævamque cœli partes. Sedenim Maro & Naso, nullius addicti jurare in verba magistri, eas non distinxere. Lucanus Ægyptiorum adhæsit factioni, & sententiam ipse suam declaravit eo loco,

*Ignotum vobis Arabes venistis in orbem,
Umbras mirati nemorum non ire sinistras.*

hoc est, in Australes partes non porrigi. In hoc autem id interest, ubi quis universi statuatur caput, quo super argumento plura dicere nostri non est instituti, quare ad ipsas rerum significationes revertamur.

AUDITUS PROMPTUS. CAP. VII.

Auditu enim duo ex quadrupedum genere maxime pollent Cervus & Bos: quamvis, ut in Asino dictum, Aristophanis interpres Murem & asinum præferat: quod alii viderint. Sedenim Cervus, quamvis acerrimi sit auditus, tantisper tamen eo excellit, quandiu arrectas auriculas tenet, quas ubi demiserit, non solum non præstat auditu, verum etiam laborat surditate. In Tauro aures ad audiendum promptæ semper, atque eo præsertim tempore, quo foemina prurita exagitata mugerit, quo non amplius quam per horas ad summum tres afficitur, eo tempusculi spatio nisi Taurus accesserit, naturam colligit, neque antea quam vigesimo post die mas à foemina repetitur.

A tur, quod raro tamen accidit: quia Taurus quantumlibet longe abfuerit, accepta voce statim occurrit. Ea- que de causa Aegyptii Sacerdotes per auriculam Tauri pictam, auditum & obsequii sedulitatem indicabant. Pari modo Juvencæ quoque Tauro se morigeram præbet. Sanè Vaccam Aegyptii Veneri dedicarunt, quam cœlestem vocant, & Isis lux frontem cornibus insignitam ostentabant: quippe ob obsequium quo ipsa quoque Tauro paret, simulac incitati ejus ad Venerem mugitum adierit. Licet vero singulis animantibus voces propriæ ad initium sint, ut Suibus, & Capris, & Oyibus, nulli tamen gravior quam Bubus fœminis. In reliquis porro animalium generibus mares gravis sonant quam fœminæ: in Bubus è contrario est, ait Aristoteles: nam Boum fœmina graviorem quam mas vocem habet.



NEPTUNUS CAP. VIII.

A T cum mugitus pelagi Turino sit non absimilis, & ipsi Neptuno Tauros immolabant, & eum ab eodem mugitu *αὐκωρῆς* appellabant: quia idem Deus à sacerdotibus nonnunquam *ταῦρος* nuncupatus est. Quos vero Tauros Neptuno sacros esse volebant, undecumque nigros deligi iusserunt, ut ita pelagi colorem exhiberent. Atram enim, nigram, obscuramve maris aquam dicere mos ubique est, unde etiam Aquilam, ab aquæ colore, quippe fusco, dictam volunt, Deumque ipsum cæruleo, & cæruleo indumento vestitum passim invenimus. Adhæc pectus illi prævalidum, armis, que Taurorum in morem carnosiores attribuuntur. Hinc in pulcherrimo Syracusanorum nûmo latum conspicias portum, in cuius medio ea membrorum habitudine Taurus procumbit, Delphinis circum colludentibus. Qui vero ludi Taurii nuncupati fuerunt apud Romanos, haud quaquam Neptuno, sed inferis diis instituti erant ad sedandam pestilentiam, quæ Tarquinio Superbo Rege in mulieres gravidas sæviebat: inde scilicet ortam, quod earo Taurina populo divendita fuerat. De Neptuno vero, qui *ταῦρος*, ut apud Hesiodum in Scuto Herculis, vocaretur, alii dicunt propter undarum sonum, quæ, uti dicebamus, Boum instar mugitant: alii, quia Neptunus Taurina induebatur galea, vel quia ita eum Bœotii vocitabant, à Tauri sacrificio, quod illi erat institutum, de quo Maro:

Taurum Neptuno, Taurum tibi pulcher Apollo.

Syracusanorum nûmus.
Ludi Taurii.
Æn. lib. 3.

FLUVII. CAP. IX.

Quin & fluvios ipsos cornigeros, *ταυροκέρας*, hoc est, Tauricornes, vel *ταυροκέρας*, Tauricipites, ut luculentam apud Græcos locutionem interpretemur, passim effingunt. Hinc Tiberis Maroni,

*Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum,
Et gemina auratus Taurino cornua vulsu
Eridanum.*

*Æneï lib. 8.
Georg. li. 4.*

Ut apud Ovidium in Metam. *Grænicæ nata bicorni*, non ut vulgata habent exemplaria, *Græcili cognatæ Grænicæ*. Sic Tauriformis Ausidus Horatio. Nam & Taurum à Perillo Phalaridi donò datum, Gelonis fluvii fuisse imaginem, apud Pindarum in Pythiis legas. Et Timæus Taurum eum, quamvis ita dictum ab Agrigentinis in mare projectum asserit, ne qua tam sævi tyranni memoria superesset. Comminum pluribusque demum in locis flumina Taurina specie fingi solita comperimus: ut Eurotas apud Lacedæmonios, Cephissus apud Argivos. Afopus apud Sicyonios & Philiasios fuere: quem tamen Athenienses humana facie figurabant, cornibus tantum à fronte prominentibus, sive propter mugitum, quem,

E

quem, uti dictum est, ciere flumina Taurorum instar videntur, & Taurorum instar atrocitas sunt; ut A Festus ait, sive quod cornua fluminibus ab flexuosis eorum lapsibus attribuantur.

TONITRUS. CAP. X.

Quod vero pertinet ad mugitum mythologi Philosophi abactis Geryonis Boves impulsu Herculis, tonitrus hieroglyphico significato intelligi debere autumant: quæ quidem sententia eorum est, qui Hesiodi Philosophiam interpretantur, ea scilicet de causa, quod Poeta plerumque tonitrus auditos Mugire dixerint. Abigi vero ab Hercule dicuntur, quia Solem per Herculem intelligebant. Solis igitur calor in nubes illapsus, earumque rigore coarctatus, simulac defractus nubibus erumpit, mugitus eos ciere consuevit.

LÆTITIA. CAP. XI.

Læte vero diffusum est hieroglyphicum illud, ut per Vituli signum lætitia significetur: unde etiam Vitulari verbum, hoc est, lætitiæ signum præbere, & exultando gestire, apud veteres Vitulantes, gaudentes, lætabundosque dici comperias: ut non temere apud conjectores Hebræos legas, lascivientem currentemque Taurum per somnium imaginari, futuræ lætitiæ signum esse: addi verò lucri adventantis significatum si per huiusmodi quietem pascentes visi fuerint. Eius verò lætitiæ causa Psalmographus clamat circumdatum se à Vitulis multis, & à pinguis Tauris obfessum.

Psalm. 22, 12.

ANNONÆ FELICITAS ET PENURIA. CAP. XII.

Quoniam vero & in somnia, & in id Bovis significatum incidimus, quo læta nobis omnia proponuntur, qua ratione quoque modo Bovillum pecus annonæ feracitatem, atque itidem penuriam significet, ex Divinis nostrorum literis historiam repetere minime fuerit importunum. Satis enim constat, quemadmodum Josippus ille somniator Jacobi filius, ob invidiam fuerit à fratribus venundatus, atque in Ægyptum abductus, ubi longam servierit servitutem, utque postmodum primas apud regem obtinuerit posteaquam nocturnam eam imaginem, quæ sese Pharaoni altius dormienti obtulerat, interpretatus est. Imaginatus enim erat ille septem Boves, pulchro, hilari & pingui aspectu, ab ripa Nili ad paludem aberrantes, quas septem aliæ deformi macie palustri eo loco emergentes exceptas conficerent. Mox verò existimabat septenas spicas cernere multa fruge conspicuas, & quæ jam secari poterant, totidem numero spicæ sterilitate insigni ex proximo occupare videbantur, (hoc verò visum secundo loco, quod ex Hetrusca disciplina in ostentis experitur, primò additum attestatum facit, ut etiam in Gedeonis vellere diximus.) Hic juvenis rerum prudentissimus, eximiâ quandam septem annorum feracitatem ex eo portendi pollicitus est, quam optimæ illæ Boves cum frugiferis spicis inspectæ denunciarent, quippe quòd sit animal agrorum cultui præcipue idoneum, telluris felicitatem per eas interpretari oportere, cujus lætitiæ causa futura esset Nili inundatio, unde visæ essent illæ Boves emergere, idque per spicas, quæ hilari essent aspectu, manifestius significari: annorum quippe septem lætissimum præventum, cætera, quæ his adversa apparuissent, totidem annorum famem demonstrare, quæ ubertatem illam e vestigio subsecutura esset. Est nimirum palus sterilitatis indicium, steriliisque passim tum à Poëtis, tum ab Oratoribus appellatur. Cum autem interpretationem huiusmodi ei approbasset, Rex Josippi consilio fretus, non modò famem ab Ægypto depulit, sed finitimos etiam populos abunde saturavit. Ajunt itaque Ægyptii, ejus beneficii memores, homini gratiam ita relatam voluisse, ut simulacrum Serapidis, cum modio in capite, cujus rei monumentum esse decreverint. Sedenim alibi de Serapi. Mirum autem memoratu est, quantum honoris vetustas iis attribuerit, qui humano victui vel industria, vel cura, vel ope privata consulissent. Livius auctor est, auratam Bovem extra portam Trigeminam Minutio Auguri positam à populo collata stipite, quòd farris pretium intimis nundinis ad assem redegisset. Farris enim victitasse populum Rom. per ccc. annos ab Urbe condita, Verrius Flaccus prodidit.

Serapidis simulacrum.

TERRA FRUGIFERA. CAP. XIII.

Apud Persas, barbata ceremonia, Bos fronte in Leoninam faciem conformata, ex antro cornibus arreptus educebatur, ad sacrificium, de quo Papinius:

Indi-

Indignata sequi torquentem cornua mitram.

A quippe cum Taurus plurimum terrenum animal sit, terra & inferis potestatibus damnatum, Soli tamen ab ea gente dedicatus vim eam ostendere videbatur, quam Sol in univerfam terram exercet. Quod autem extraheretur ex antro, delitescere vim ejus in terræ visceribus indicabat, quam ut evocarent, & frugum fecunditati consulerent, sacrificii genus id instituerunt, de quo etiam in Leone. Neque quidem alia de causa Bovem quandam ab Argo tot luminibus prædito custoditam fabulantur, nisi ut terram ipsam ostenderent noctu ab ipso coelo tot stellarum luminibus insignito, non indiligenter observari, donec à Mercurio, quippe à Sole conficiatur, cujus oriente jubare, stellarum lumina passim extingui videantur. Quid autem aliud portendere visus est Bos ille arator, qui decussio jugo triclinium,



B in quo cenabat Vespasianus, irrupit, ac fugatis ministris quasi repente defessus procidit ad ipsos accumbentis pedes, cervicemque summisit, nisi terrarum orbem amarissimo Vitellianæ dominationis jugo pressum, opem à gente Flavia deprecari, quæ jam rerum esset potitura? Terram itaque Bos eo ostento præ se tulit.

OPIS IMPLORATIO. CAP. XIV.

Hæc autem opis imploratio per Bovem facta, adducit in memoriam alteram Scytharum more, bovillo interveniente corio, factam: apud eos enim opis & auxilii imploratio fieri solebat: mactato Bove, in corio cujus, qui opem sibi afferri ab amicis posceret, rejectis in tergum manibus testabat: qui verò auxilium pollicerentur, dextero pede corium calcabant præfati quantum præstare possent, quem morem late scribit Lucianus dialogo de amicitia, cui titulus *Toxaris*. Et quod ab hoc fertur de Homolottorum sacrificio, qui fœdera sancientes Bovem in minutissimas partes dissecabant, etiamnum durat, apud eosdem Scythas, qui oram inter Tanaim & Phasim accolunt, nunc Cercasios appellatos, eos non nulli Ziccos esse volunt: hi autem si gravem aliquam injuriam acceperint, imploraturi amicorum auxilium Bovem mactant, pelleque detracta & humi distenta, in eaque sedentes, carnibus Bovis in minutissima frustra divisis, partem unicuique adveniendi porrigunt: quique accipiunt, ita se eo fœdere devinctos intelligunt, ut se, fortunamque suas omnes parati sint exponere pro amici, qui viscerationem hanc fecerit, injuria vindicanda.

FRUGUM OPULENTIA. CAP. XV.

Qui verò Boves juncti in numo Vespasiani jam Imperatoris & Cos. v. habentur, atque alii simili-
ter jugati in C. Marii C. T. numo, nimirum arationis partes procuratas, & rei frumentariæ commo-
da declarant: nam & apud conjectores, uti superius dictum, arantes Boves imaginari, lætissimam
prænuunciant frugem, & opulentiam rerum felicitatem. Quin & nomen Bovi à nutriendo factum.
D *βῶν* quippe nutritio: labore enim suo in exercenda terra continuo nos pascit. Hinc Græci *βῶν* agriculturam
felicem agriculturam vocant, quibus *φάει* agricultura est, & Bovis etiam epitheton.

JUSTITIA. CAP. XVI.

Quoniam verò ipsa frugum opulentia sæpe sub justitiæ vocabulum cadit, eaque de causa Gentes legitime Cererem appellarunt: longe convenientius Divinæ literæ per Bovem eos intelligunt, qui justitiæ jugum trahunt, bonisque & frugalibus operibus laborem suum intendunt. De quibus Paulus citat illud ex Mose: *Non alligabis os Bovi trituranti*, quod & mox ita declarat: *Nunquid de Bove cum esset Deo? an propter nos utiq; dixit, quia debet in spe qui arat, arare, & qui triturat, in spe fructus percipiendi?* Et Hierosolymit. Hefychius plerisque; Divinarum literarum locis Bove poni pro homine ait, *1. Cor. 9. 9. Dent. 25. 4.*

qui iustitiæ sit operibus intentus. idque est Bovem offerre in facris, ut Ovem, à malis abstinere. Alibi vero Aaron Vitulum pro se & pro domo sua, tanquam iustus, Hircum vero pro peccato iubetur immolare. Sed observat Hesychius memoria repetendum, in Levitico Pontificem, hoc est, Doctores prohiberi ad Arcam testimonii quocumque tempore ingredi, ne utique curiosius inquirant, quemadmodum verbum caro factum est, quomodo qui forma Dei erat. in forma Dei factus est, quomodo exinanivit semetipsum, & in cælis mansit. Horum enim fides salutem affert, periculum inquisitio. Sed tunc demum indulgetur, ut ingrediatur, cum pro peccato Arietem in holocaustum obtulerit, tunicam linteam induerit, femoralibus linteis pudenda celarit, zona linteâ succinctus fuerit, linteam cydarim imposuerit capiti, hoc est, quando Deo conciliatus erit, perpuratus mentem, corpusque, nitidus, castus, iustus, & intellectum divini muneris gratia, decoreque, hoc est, sapientia redimitus.

PECUNIA. CAP. XVII.

Athenienses autem quo frugali adeo labori gratiam referrent, Bovis effigiem numismatis honestarunt, id autem didrachmum erat, ut nono libro Pollux, unde proverbium, *βῆς ἢ γλωσσῆ βέβηκε*, Per linguam Bos inambulatur: de iis qui accepta ab adversariis pecunia, mox prævaricati susceptas causas deseruere, uti fecisse Demosthenes fertur: qui etiam id sibi gloriæ vertit, quod ut taceret, plus accepisset, quam qui diu oraverat. Hinc apud Homerum & alios tot numero Bovum pretium rebus præstitum invenias, ut illud Iliad, *β, ἐκατόνκοο ἕκαστος*, quorum singuli scilicet floccientum aureis numis aestimabantur. Id enim honoris Bovi veteres habuerunt, ob multas, quas ex eo consequimur utilitates, ut in aureorum numorum parte una Bovis effigies, in altera principis facies cuderetur. Nam quod pecunia aliquando fuerit ex corio bubulo, eoque spectare Didus mercaturam, asseverare non aulam, tamen Tib. Donato commentum placet: & Græcorum nonnulli ante Numam scortearas & ostracinas pecunias in usu fuisse dicunt, quod & Tranquillus literis mandavit, & illud fama tenet, asses ligneos & scorteos ab eodem Numa, qui postea ferrum admixto ære signavit, in congiario populo datos. Apud rerum scriptores invenias sæpe Imperatores exercituum rei pecuniarum inopia scortea perfoluisse stipendia, mox illatis pecuniis justum unicuique pretium restitutum. Præclara Venetiis est Michaëlium familia, quæ aureos inculptos clypeis gestat, quod illi honori, ut ajunt, datum: quia bello quod contra Saracenos pro Hierosolymis Balduino Rege susceptum fuerat, duce classis & Venetiarum Dominico Michaelæ deficiente stipendiorum commætu, qui remigibus & sociis navalibus exolveretur, excogitaverit is corium signare minoribus frustis idque pro stipendio, aliis pro argenteorum, aliis pro aureorum pretio numeratis, imperavit promulgatione solenni, ut pro certi pretii denariis à laxis & carponibus, & cuiusque mercis inceptoribus acciperentur, multa indicta recusantibus; ita occursum exercitus necessitati. Cumque domum reversus esset, publicam fidem perfoluturus, convocatis omnibus qui pecunias scortearas eas haberent, totidem argenteas iis, aliis aureas representavit. Sed numus hic scorteus, qui à Numa distributus, tessera potius vicem gessit, quam pecuniæ, temporarius enim fuit, Numum tamen scorteam, D. Hieronymus agnoscit. Nam quod de Bove pretii nomine pronunciato dicebamus, apud Homerum Hecatomben *ἑκατόμβην* institutam legimus: quod interpretes nonnulli novem Bovem pretio comparatam intelligunt. Erat in Draconis legibus irrogata multa quædam *δρακόνιον*. In spectaculis, quæ Dei celebrabantur, præco prænunciare solitus erat, tot Boves datum iri, unde putarunt quidam Bovem Deliorum potius fuisse numum, quam Atheniensem. Cæterum Plutarchus Bovis figuram in numis cedere institutum à Theseo tradit, vel ob Taurum Marathonium, quem ipse edomuerit, vel ob Minois ducem, quem singulari certamine devicit, vel ut hoc honore Bobus præstito cives ad agriculturam alliceret. Sane Plutarchus, ut idem in Publicolæ vita, Bovis pretium centum obolis imputabatur, quamvis Pollux (ut superius dictum est) didrachmum tradat pecudis vero decem. Prius enim quam numorum usus esset, pecudibus atque jumentis plecebantur fontes. Quare bonis, pecudis, suisque etiam signa plerumque in numis incisa sunt.

VOCA-

VOCALIS PRIMA. CAP. XVIII.

A Sed ut ad rem nostram revertamur, à Phœnicibus etiam est honos habitus Bovi, qui literarum, ut fama est, inventores, primæ vocalis nomine Bovem appellabant, cum animal sit humano usui maxime necessarium. Quod vero necessarium est, uti dicit Hesiodus, neque secundum, neque tertium esse debet, sed primum ilico: prima vero litera est A, quæ suapte natura ex imo barathri, nullius veluti reliquæ instrumenti indiga, ut puta linguæ, dentium aut labiorum, libera pronunciatur, primaque in infantibus articulata dignoscitur. At & terra, cuius symbolum est Bos, prima omnium humanæ consuluit infirmitati, prima alimenta ministravit, prima rerum omnium usus, utilitatem, ab ea poscentibus, elargita est.

ITALIA. CAP. XIX.

Romani porro tantum honoris Bovi tribuerunt, ut Italiam ipsam olim ab Italis, nuncupatis Bovibus, appellatam prædicent, quamvis Græcorum figmento, Eratosthenisque in primis confectum sit, Italiam ab Italo rege dictam, qui Hermogeti successerit. Non temere tamen Varro Boves cæteris pecudibus honore præstare, præsertim in Italia, & propter utilitatem, & propter cognomen existimavit. Neque dedignati sunt Romani, quod memorat Plutarchus, bubulci nomen in familiis admittere, perinde ac etiam & Porcios, & Caprarios dici se alii non erubuerunt.

CIVIS OPPRESSUS A PEREGRINO. CAP. XX.

Visebatur olim in Argivorum foro Taurus à Lupo superatus: hieroglyphicum id pugnam indicabat, quæ inter Danaum & Gelanorem de regno fuit. Horum siquidem animalium portento, dum comitia procrastinabantur, oblato, victoreque Lupo, omnium suffragia ad Danaum declinarunt, quem, utpote externum, Lupum esse dicebant, cum Gelanor inter eos versatus civilla eorum negotia tractasset: ideoque civis, uti Bos humana consuetudinis confortia non reformidat, habetur. Argivi itaque figuram eam rei momentum esse voluerunt, quod in Lupi commentario latius explicavimus. Antiquissimam porro legem fuisse, memoriæ proditum est, eum qui Bovem occidisset, non aliter capite damnari, quam si civem interfecisset. Unde apud Athenienses Erechtheo imperante, cum sacro quodam Bovem mactare necesse esset, ut sacrum rite perageretur, ne qua legi fraus fieret: institutum ut Popam, quem illi *Προπόνορ* appellabant, simul ac Bovem percussisset, relicta ad aram securi, arrepta statim fuga solum verteret, & ex Attica prorsum aufugeret: quod facinus ne impunitum relinqueretur, decretum sit securim ipsam in iudicio ream constituere: ex quo illa iudicandi quotannis consuetudo postmodum inolevit. Apud præcos etiam Romanos invenias capitale fuisse, si quis Bovem interemisset.



Athenien-
um lex
adversus
Bovu per-
cussorem.

OPUS ET LABOR. CAP. XXI.

De opere demum & labore hieroglyphica passim vulgata sunt, descripta quidem cornua caput-*Hori locus* ve Bovis, maris opus, scemina vero, laborem, anxietatemque significare, quamvis in impressis *omnida-* Hori codicibus *Βοός* dictioutroque; lemte desideratur: scribendum enim est ex vetustis codicibus *Βοός ἢ Ἡλείας κέρας*. Distinguntur vero à cornuum specie inas & scemina, quippe quod marium & majora & tortuosiora sint, sceminarum vero & minorum, & uno flexu conspicua, cujusmodi fere sunt novæ Lunæ cornua: sed in hoc significato nonnulli sarcula, ligones, & si Deo placet, rastra etiam ad cornua religarunt. Sunt qui nulla maris sceminaeque differentia, Bovillum caput exertum pelle, purgatumque carne, pro labore & tolerantia proponant.

ET si fructum ex laboribus perceptum indicare velint, caput huiusmodi floribus & corollis redimitum faciant, corymbosque & ferta hinc inde cornibus suspendant: cujusmodi fascia molem Æliam ambibat, ut frustra quædam, quæ adhuc integra operis parte permanerunt, ostendant: si ve id sacrificiorum, videlicet Tauroboli, aut quid huiusmodi, sit indicium, cum juxta vicissim & patina adsculpi soleat, quod præcipue in templorum parietibus, inter triglyphos ubiq; spectamus, ea que de causa capita illa coronata plurimum habentur: sive larga laborum præmia interpretari malimus, ut Romæ in eadem Adriani mole patina, munificentiam, Bovillo capite, labores, sive res fortiter gestas ostentantibus. Nam post vitæ præclaræ actû cursus laboresq; superatos, apothecis ipsa præmium Imperatoris familiis decernebatur, aut excitabantur mausolea, vel pyramides, vel columna, quæ ibi conditos supra mortales erectos gloria commonstrarent. Apud Petrum Molinum Romæ vidimus athenum Bovis caput antiquissimi operis scite factum & venuste, quod olim fuit ad trabis allicujus simam, aut mutilum, aut coronam, pro futura accommodatum, eo omnino gestu factum, ut laborioso nixu aliquid sustentasse videatur: est enim caput gutturi appressum crispantibusq; palearibus conatus speciem ostentat, quod dubio procul ad tolerantia laborisque significatum referendum est. Memorabile sane veterum Germanorum institutum fuit, uxori ducendæ Boves junctos, frænatum Equum, & scutum cum framea gladioque mittere dotis nomine, ut uxor (ait Tacitus) venire se laborum periculisq; sociam his incipientis matrimonii auspiciis admoneretur, idem in pace, idem in præliis passuram, auferamque. Laborem enim juncti Boves, bellum paratus Equus, & data arma denunciabant. Apud authores Græcos invenias Bovem, quod terræ laboribus exercendis sit destinatus, γαστρον appellari. Apud Mathematicos Tauro ascendente genitos, laboriosos atque perpetuæ deditos servituti, propterea quod animal ad jugum præcipue natum est. Qua de causa Tyrrius Carthaginem ædificare aggressis, intermissum opus est Bovillo capite ad invento, alioque urbis mœnia translata: videbatur enim ostentum id nil nisi laborem & anxietatem minitari, donec Equi mox ad invento capite, læti a cresq; belli signum exceperet. Horum alterum Virgilius dissimulavit, qui fabulam scribebat, non historiam, rem tamen agnovisse visus, quod *bello genus intrahabile futurum dixit, sed facilem victu per secula gentem*: quippe quæ vel jugum acceptura esset, vel freno coercenda, quamvis non, postremi nominis interpretes *facilem victu* interpretari malint, ad victum comparandum: qua in sententia Servius est.

Germanorum olim mos in ducendâ uxore.

ABSURDA RES. CAP. XXIII.

ATque ne à Bove & Equo longius discedamus, est illud ex horum alterutro hieroglyphicum: ut cum absurde & imperite factum quid ostendere voluerimus, Bovem cum clitella, vel Equum, aratro adjunctum figuremus, quam quidem rem & absurdam sane, & ab cujuslibet ingenio vel viribus alienam provinciam innuere volumus: quod luculenter uno versu complexus est Horatius:

Optat ephippia Bos piger, optat arare Caballus.

Quod etiam Quintilianus ex Epistolis ad Atticum tangit, ubi lib. 5. inquit: *Non nostrum onus, Bos clitellas*. Dixit enim Cicero s. ad Atticum lib. *Clitella bovi sunt impositæ, plane non est nostrum onus, sed feremus*. Sed ad nostra redeamus.

JUDÆI. CAP. XXIV.

IN Divinis literis Judæi (ut sæpe dictum) hieroglyphice per Bovem intelliguntur. Nam Hierosolymitanus Hefychius Bovem eum accipit, qui mandata tantum legis simpliciter observat, utpote quod Bos sit laboris signum. Eucherius significationem ad omnes trahit, qui vitam laboribus exer-

Deut. 25. 44 Cent: & Mosaicum illud: *Non alligabis os Bovi trituranti*, interpretatur, ut neminem mercede sua fraudandum intelligat.

APOSTOLI PASTORES. CAP. XXV.

Proph. 7. 122. APOSTolos quoque per Boves accipit, qui suscepto Christi jugo universum terrarum orbem Evangelico vomere peraraverunt. Illud vero: *Quasi Bos ductus ad vicissimam*, quod pro vecorde nonnulli

A nonnulli dictum accipiunt, de Domino omnino intelligit, qui pro salute nostra eam quasi stultitiam suscepit. Ante fores templi ad abluendas ingredientium manus lavacrum aheneum Boves duodecim sustinebant, qui quidem frontibus tantum extabant, terga & posteriora occultabant. Per Boves eo gestu hieroglyphice factos, Gregorius Pastores Ecclesiarum intelligit, quorum aperta & in propatulo proposita opera cernimus, sed quæ ipsi clam faciant sentiantve, Dei iudicium, non nostrum esse debet: id enim ait sibi velle, quod eorum lateant posteriora.

VITIOSUS. CAP. XXVI.

Quod vero pertinet ad Vaccam, per hieroglyphicum ejus Divinæ literæ, ut idem tradit Eucherius, hominem vitium, quæ corporis sunt, plenum indicant, citato loco ex Psalmo: *inter Vaccas Psal. 67. 31. populorum.* Sed illud de Vaccis fœtis, quas Palæstini ad trahendam arcam Domini sine rectore junxerunt, Vitulis earum intra caulas domi detentis, ita interpretatur, fideles quidem intelligi, qui tamen etsi foris humanis affectibus torqueantur, illis alligati, à recto tamen itinere non declinant: quia ar-

B cam Domini portant, mandata quippe ejus menti firmiter infidentia. Et idem alibi ad Valerianum: *Tunc vere Bethsamis tendimus, cum viam rectitudinis gradientes, ad vicina erroris latera, etiamsi affectu pignorum avocent, minime declinamus.*

PODAGROSUS. CAP. XXVII.

Sed qui illud, quod ex Bovillo pede, podagrosus hominem significabant? Bos enim præcipue ungulis cum dolore articularum laborat, quo quamvis non intereat, ungulas tamen interdum amittit, & pedes vehementer intumescunt: unde fictum ab Ægyptiis, Tauri cœlestis pedem extra regionem suam in Æthiopas exporrigi, quorum & pedes & articulos esse tumori egregie obnoxios exploratum est, & in Italiam transgressos, paucissimos invenias, qui non articularum vitio laborant.

A LABORIBUS QUIES. CAP. XXVIII.

Solutus porro Bos, & præsepi redditus, partam à laboribus quietem ostendit, quod antiquissimè Ægyptiorum hieroglyphicum Græci adagio profecuti sunt, *βῶς ὑπὸ πρᾶση*, Bos ad præsepe, dicentes, cum exautoratum hominem, & donatum jam rude, otioque tranquilliori vitæ restitutum, significare voluerint: quia scilicet moris est ab laboribus Boves ad præsepe sistere, atque illis pabulum subministrare: quamquam sunt, qui proverbium ad melioris vitæ significatum detorqueant, & ingenium à labore proclive ad libidinem ex hoc intelligi contendunt. Sane quidem Hebræi conjectores, cessationis & ignaviæ signum esse dicunt, cum quis dormientes Tauros videre se per fomnium visus fuerit. Utcunque autem duodecim illi majores, qui regnum à Sabaco Ægyptiorum rege relictum sponte moderandum suscepere, ut oneri magis quam honori tantam regni curam sibi fuisse testarentur, in celebri illa pyramide quam commune collegarum omnium sepulcrum construxere, contignationem tecti, quæ uno constabat lapide, præsepibus adsculptis insignivere: ad quæ scilicet tot laboribus exantlatis, tot cujus abjectis & ablegatis, requieturi demum essent. Huic contrarium est, *Bos sub jugo*, de iis qui perpetuo labore fatigantur. Quod vero nos ab Jesu asserti in libertatem censetur, id ita intelligendum, Judæis impositum fuisse jugum, tanquam servis, ut quasi per vinculum ad præceptorum obedientiam traherentur, atque ita Deo servire discerent, & assuefierent. Præcepit enim lex: *Non mæchaberis. Non occides.* An vero nos, quia sumus liberi, mæchandî licentia abutemur, & sicariam sine metu faciemus? nequaquam, imo nobis neque quidem concupiscere, neque vel irasci præceptum est. Arctiora igitur sunt jugi nostri vincula? an non ita, si rem recte perpendamus. Nam lex imperatorie mandat, ne quid perperam agamus. Assertor noster præcidendas monet vitiorum causas, ut neque quidem facere quicquam præter jus & fas in animum inducamus. Hæc enim est vera libertas, cum nosmetipsi sponte abjicimus vitiorum jugum, cum libidinum ergastula confringimus, & è malarum cogitationum voraginibus emergentes, vinculis omnibus expediti, in sinceritatis liberos campos evadimus, abstinemusque, non tamquam servi à flagitiis, metu flagri: sed tamquam ingenui, pie sanctæque educati, sponte probi modestique filii, &

lii, & quia patrem diligimus, omni studio, meditatione, conatuque monitis ejus ita obtemperare contendimus, ut ne cogitare quidem ullum velimus scelus. Boni enim qui sunt, nisi sponte boni sint, nullum ex bonitate sua premium assequuntur. Nam Abraham, Enoch, Noe, & Patrum plerique alii, sine legis servitute Deo placuerunt. Lex vero tunc data est, cum servili contumacia non modo Mosi non audire, sed ipsius etiam Dei, qui videntes eos atque sentientes in libertatem ex Aegyptiorum oppressione asseruerat, mandata detrahere pertinacissime coperunt, & quæ plurima in hanc sententiam disputat Irenæus. Sed jam ad diverforum deorum, quos sub Bovilla imagine superstitionis antiqua coluit, convertemur.

BUCEPHALI. CAP. XXIX.

Prætereundum autem non est, etiam si *κτ̄ πέρσερον*, Bovilli capitis notam Equi inustam, illis ex signo dedisse nomen apud Thessalos, quippe ut Bucephali appellarentur: ita enim Gens eos vocabat Equos ea nota insignitos, cujusmodi fuit nominatissimus ille Bucephalus, qui Alexandro Macedoni tam charus fuit. Falluntur autem, qui putant Equum eum à Bovillo capite, vel à cornibus, quibus animal id præditum fuisse dicitur, ita nuncupatum. Nam quod Equi nonnulli apud Thessalos Bucephali vocentur, ostendit Aristophanes *ἀναεργέω*. Quantæ vero commendationis essent Equi Thessalici, vel Delphico probatur oraculo:

Thessalicus præstat sonipes, mulierque Latana.

& quæ profequitur Strabo.

JUPITER. CAP. XXX.

Apis Aegyptius.

Neque vero Græci tantum mutatum in Bovem Jovem confinxerunt, verum etiam Aegyptii Jovem illum suum, qui & Osiris, & Pater, & Justus, & Dux, & Rex, & Consultor in sacris eorum literis appellatur, per Bovem indicarunt, eumque Apim cognominaverunt. Quem quidem tanto profecuti sunt cultu, ut ingentia super eo volumina scripta fuerint à plerisque, eoque vanitatis progressum, ut eum Bove alioqui sterili genitum prædicarent. Bovem namque fulgure afflatam fieri gravidam, eoque conceptu Apim nasci persuasum habuere: de quo quidem cum nulla sit magis decantata fabula, consulto ego illum præteribo, si modo signo tantum, quibus insignitus esset, indicavero. Toto is corpore niger erat, in fronte candorem quadræ præ se ferebat, in tergo effigiem aquilæ, cantharum in palato, duplices in cauda pilos: qui vero multis locis sculptus visitur, Lunæ etiam speciem in latere gestat, ut in palatio quodam Romæ apud D. Marcelli ædem. Atque hic ille est Apis, quem Hebræi Mose in monte moram trahente, sibi Deum conflare, eam secuti consuetudinem, quam in Aegypto esse conspexerant.

DIANA. CAP. XXXI.

Invenies etiam Dianam, quam Tauri, Scytica gens, colunt, Taurionem appellari: Tauris enim eam opitulari putant. Eadem etiam *ταυροπόλ* dicitur, ut apud Apollodorum, & à cornuum figura *ταυροπό*, *ταυρο* vero apud Taurios. Cur vero *ταυροπόλ* vocaretur, varia est opinio: dicunt enim alii, *ὅτι ὡς ταύρις ὀβριεῖσι πάντα*; alii quia Taurum à Neptuno in Hippolytum immisum, æstro affixo, per universam terram exagitaverit. Alii dicunt, Iphigeniam cum è Scythia in Atriam aufugisset, Deæque simulacrum dicasset, *ταυροπόλ* Dianam appellatam, propterea quod è Tauris populis eò allata esset. Alii nomen ex historia ea desumptum putant, quod Nicander ait Taurum à Diana suppositum loco Iphigeniæ, cum eam in Aulide Græci essent immolaturi: quamvis Phanodemus Ursam eam fuisse dicat, plerique vero Cervam, tanta fuit in ea superstitione varietas & inconstantia.

PALLAS. CAP. XXXII.

Quin & Pallas *ταυροπέλα* dicta, & apud Andrios *ταυροπόλ*. Nam cum Anthropius Taurum Agamemnoni & Menelao dedisset, jussit ut ubi Taurus è navi prosiliisset, ibi Minervæ simulacrum erigerent: ita enim numen conciliari posse prosperamque illis navigationem futuram. Accidit autem

A autem ut Taurus is in Andrum insulam exiliret: memores ergo præcepti, Reges statuam erigendam curavere, quæ postea id cognomenti Minervæ dederit.

BACCHUS. CAP. XXXIII.

Et Bacchus, ut superius dictum est, in Tauri nuncupationem venit, quem *ταυροφάγον*, veteres appellavere: propterea quod, ut Sophocles author est, qui Dithyrambum vicisset, Bovem assequeretur premium, veluti Tragicis olim Hircus debebatur. Aristophanes tamen nomen id in Cratini contumeliam detorquet, quasi ebrium insimularet. Apud Athenzium legere est, Bacchum Tauro & Pardali esse similem, ob ebriosorum violentiam: vinosam enim esse Pardalim, loco suo positum. Lycophron eum omnino Taurum vocat, poetæ Draconem Tauri patrem canunt, per illum Jovem, per hunc Bacchum intelligentes. Sed ut ad Apim revertamur, is in civitate Memphi Solis instar excipiebatur, & apud Heliopolim Taurus Soli facer erat, quem Neriton appellabant. Illud vero fabulosum judico, quod Hermuti oppido tradunt fuisse Taurum, qui maculas per singulas diei horas permutaret, de quo Macrobius. Verum hoc nihil ad hieroglyphica.

BITHONIS ROBUR. CAP. XXXIV.

Qui vero Taurus humanis humeris gestatus Argis visebatur, Bithonis factum indicabat: qui suo fretus robore, dum Argivi Jovi sacrificarent, Taurum in humeros sustulisse fertur: summum enim vitium experimentum apud veteres erat Tauris robore præstare. Hinc Milo apud Theocritum celebratus, qui Taurum pede arreptum ad amicam traxerit. Hinc Busiridis nomen, quod duos solus Boves quaqua vellet traheret. Fuit vero is Ægypti rex, quem Poetæ crudelitatis in humanum genus atrocissimæ notaverunt. In Seleuci autem numis & Taurus, & alibi tantum cornua spectantur: quippe quod Alexandro sacrificaturo, sylvestrem Taurum è vinculis elapsum ambabus tenuit. In ejus statuis videas nonnunquam cornua superaddita.

PIETAS. CAP. XXXV.

In antiquis operibus juvenes duo subjeçi jugo, currum trahere conspiciantur, erant hi Bithon & Cleobis fratres. Hieroglyphicum id eorum indicat pietatem, qui matrem curru impositam ad Junonis templum vexerint. Historiam & Pausanias & alii tradidere.

VELOCITAS NEGOTIORUM. CAP. XXXVI.

Duo vero Tauri inter se pugnare per nocturnam imaginem visi, negotiorum velocitatem præfigere dicuntur; ut Hebraicæ quædam somniorum interpretationes prodiderunt. Astronomi eum furis agitandum dicunt, cui decimus octavus Tauri gradus nascenti affulserit, eaque de causa locum eum Tauris duobus sese cornu petentibus signatum veteres voluere.

DISERTA PROLES. CAP. XXXVII.

Hebraei vero juniores cornupetam Taurum per somnium imaginari, indicium esse dicunt disertissimæ proles suscipiendæ: quo forte spectat Virgilianum illud, Taurum Polioni pascendum.

Jam cornu petas, & pedibus qui spargat arenam.

propterea, quod nova ille carmina faciat, qui quidem sunt ingeniorum fetus: *ἡ πλεεργον* & hoc addam (quamvis non sum nescius, quid Grammatici super locutione, quæ nova est, disputent) dici tamen posse Virgilium ad Pindaricum illud respexisse, quod Olympiis habetur Epharmosto:

αἶψα ἢ παλαιὸν ἐπιείδων, ἀνθρα δὲ ὕμνων νεωτέρων.

Vinum quippe à veteritate commendare congruum esse, à novitate autem poemata. Flores enim pro recenti re positum ajunt interpretes.

*Signa mili-
taria duo
apud Ro-
manos.*

Apuđ Romanos signa militaria, alia Vocalia, alia Muta dicebantur. Vocalia, quæ Imperator Tribuni, Tribuni mox ordinibus dabant, ut scilicet aut noctu, aut in peragendis vigiliis, aut explorationibus obeundis, ac in ipsa quoque interdum acie, cum tumultu omnia confusa essent, ipsi se vicissim noscitant. Muta, variis animalium figuris elaborata præferebantur, sed suum quæque significatum habebant: quippe, ut unum exempli causa ponam, Minotauri effigies tunc extollebatur, cum secreto & tacite rem gerendam admonebantur: ostendebat enim hieroglyphicum id, consilia ducum non minus occulta esse debere, quam fuerit Minotauri sedes, quippe Labyrinthus. Hinc ille sapiens videlicet eorum Imperator Q. Cæcilius Metellus Macedonicus, percontantibus Tribunis quonam exercitum huc illuc agitare: *Si putrem*, respondit, *tunicam meam meorum esse consiliorum consciam; eam altutum abscinderem, combureremq.* Tutissimum enim (ait Vegetius) in expeditionibus creditur, facienda nesciri.

VICTORIA. CAP. XXXIX.

Mactatus autem Bos, quales ubique locorum conspiciuntur, victoriæ plurimum, partiq; triumphum signum erat: præfertim apud Romanos, unde Juvenalis hujusmodi significato,

Duc in Capitolia magnum, Cretatumque Bovem.

Id vero observatione dignum est, quod Spartiatæ in hoc sacrifici genere diversam à Romanis rationem secuti sunt. Num cum Romani, victoria per hostium sedes parta, Bovem sacrificare consueverint, cum vero sine pugna & sanguine rerum potiti essent, Ovem immolare: hi contra in victoria pacata Taurum sacrificabant: si vero pugnando vicissent, Gallum: quandoquidem ampliora magisque homine digna, quæ ratione atque prudentia, quam quæ vi atque corporis tantum fortitudine confecta essent, indicabant.

LUCAS EVANGELISTA. CAP. XL.

*Bovis alati
hierogly-
phicum.*

ET quoniam multa sunt, quæ de pietatis nostræ institutis ad hanc faciunt doctrinam, quæ Christianorum conventus sanctionibus suis per imagines exprimenda concessere, ea nequaquam dissimulanda sunt, cujusmodi ea est, quæ per alatum Bovem Lucam Evangelii scriptorem ostendit, sive propter eam ipsam Tauri continentiam atque temperantiam, de qua facta est superius mentio, cum Lucas ipse castissimus ab ineunte ætate, ut fertur, fuerit, omnemque vitam egerit incorruptus, immaculatus, sine uxore, sine liberis, in cælibatu perseverans, nullum unquam Veneris usum noverit: sive propterea, quod per Vituli mysticum vultum, Christum nobis prædicat immolatum, quem David super altare prædicat imponendum, atq; mansuetudinem, quam præ se tulit Deus homo factus, testimonio suo literarum monumentis illustratam posteritati commendavit: sive quod à sacrificiis, vel à sacerdotio sumat, ut ait Eucherius, operis exordium. Ita enim scribit: *Fuit in diebus Herodis sacerdos nomine Zacharias*: quam interpretationem admittit etiam Irenæus.

MANSVETUDO. CAP. XLI.

Lib. 3.

Quamvis pertinet ad animalis istius mansuetudinem, Lucretius Poeta ita causas ejus reddidit:

*At natura Bovum placido magis ære vivit,
Nec nimis inani sax unquam subdita percit
Fumida suffundens cæca caliginis umbras:*

*Nec gelidi torpet telis perfixa pavoris,
Inter utrosque sum est, Cervos, sevosq; Leones.*

Paulo vero ante, cum de varietate animi loqueretur, mansuetudinem hanc in aereis corporibus esse contenderat: & quia causas reddiderat, cur Leo incognabundus esset, cur Cervus timidus, non immemor naturam humanam rerum omnium species amplectari, sic subdit:

*Sic hominum genus est, quamvis doctrina politos
Constituat pariter quosdam, tamen illa relinquit
Natura*

- A *Natura cujusque animi vestigia prima,
Nec radicitus evelli mala posse putandum est:
Quin proclivius hic iras decurrat ad acres,
Ille metu citius paulo tentetur, at ille*
- Tertius accipiat quadam clementius aquo:
Ing, aliis rebus multum differre necesse est
Naturas hominum varias, moresq; sequaces.*

Prout vero variis affectibus movetur homo, ad ejus animalis bruti naturam comparatur cui per eam sit assimilis: nam in brutis simplices plurimum sunt naturæ, ut initio diximus.

FEROCITAS EVITANDA. CAP. XLII.

Quam diversum autem illud est, quod mansuetudinem ex Bove picto significantes, ferocitatem Fœni Tau-
ri cornibus
alligatum
quid. quidem & furibundam petulantiam per Taurum indicabant, ubi fœni fasciculum cornibus alligassent, recepta sunt hæc jam apud omnes, unde dixerit Horatius:

Fœnum habet in cornu, longe fuge.

- B Psalmographus noster eodem utitur dicitio, dum Psalmo quadragesimo quarto dicit: *Cum nobis aderas, inimicos nostros cornu petebamus, & accipiens* enim habet Græcus codex, proque valida & victrici pugna Theologi commentantur. Et 6. Ecclesiastici capite legas, *Cavendum ne animos, veluti Taurus, extollamus.* Quod vero attinet fœnum, id ideo facitari solitum ait Plutarchus, ut ferocitatem lasciviamq; ex nimia pabuli ubertate resulfare admoneremur. Dicitur vero celebritatem accepisse à Sicinio quodam proditur, qui cum effusissima dicacitate omnes carperet, uni M. Crasso parere compertus est: curq; uni illi parceret, interrogatus, fœnum eum in cornu gestare respondit. Sane Romanis mos fuit cornupetarum Boum cornua fœno circumligare, quo obviam prodeuntes admonerent ab illo cavendum. Eo figmento Hesiodus populivoros (liceat ita mihi *ὄνηοφάγος*, Græcum vocabulum Latinum facere) nuncupavit, qui quidem divitiarum opulentia lascivientes reliquos impeterent, ac proculcarent. Est & tale aliquid apud Sophoclem, & Solonis ad hoc dictum haudquaquam aspernandum. Sed illud potius afferamus, quod Psalmo vigesimo secundo scriptum, *Circum dederrunt me Vituli multi, Tauri pingues obsederunt me*, ubi interpretes per Vitulos plebeiam Judæorum multitudinem intelligunt, lascivientem quippe, solutamq; juventutem omni profus regula carentem: per Tauros vero, Pontifices, Scribas, & Seniores, propter ætatem nimirum, & prærogativam, qua cæteris antestabant, Pingues appellati: quia multis Dei donis ante alios omnes fruebantur. Nam & alibi Moses in hanc sententiam futura longe prævidens: *Comedit, inquit, Jacob, & impletus est, & recalcitravit dilectus: pinguedine & carne disensus est, & obductus, & dereliquit Deum factorem suum.* Eodem modo accipiunt Theologi dictum Psalmi sexagesimi octavi, *Taurorum congregationem*, Pontifices & Scribas, & reliquos Judæorum Principes intelligendo, qui & temerarii, & cornupetæ essent Christumque & Apostolos ferociter incessuri forent. Minime vero loco hoc prætereundum est, quod Theologi nostri Mosis prædivinationem de Josippo, *Tauri decor ejus*, transferunt ad Christum: Taurus siquidem ob utramq; dispositionem, alius ferus, ut judex; alius mansuetus, ut assertor: qui generi humano salutem dedit, cujus cornua esset crucis extrema. Nam & de parte navis antenna, dictum invenimus,

Cornua velatarum obvertimus antennarum.

- D Hac autem virtute crucis, & hoc more cornutus, ait Tertullianus, universas gentes etiamnum ventilat, per fidem auferens à terra in cælum, & tunc ventilabit per judicium, dejiciens de cælo in terram. Ubi etiam de Simeone & Levi loquitur: *In concupiscentia sua subvertaverunt Taurum*, de Christo idemdem intelligi volunt, cujus nervos sacerdotes præcipue clavis suffigendos curaverunt.

Encl. lib. 3.

Gen. 49. 6.